V316

EMINENTISSIMO VIRO, GEORGIO Tanstetter Collimitio, Artium & Medicinæ Doctori peritißimo, & Mathematices, in inclyto Viennensi Gymnasio profeßori ordinario perspicaciß. Patrono suo obseruantiß. Io. Vœgelin Haylpronen. S.

CVm prælegendorum Mathematũ muneri me substituisses, cœpi illico cogitare, qua ratione tibi gratitudinem meã declararem: cumq; diu id me sollicitum dedisset, uidi tandem nulla re magis animum in te meum perspicuum fore, quàm si diligentem ac strennuam operam ibi locarem. Ea propter summum est mihi studium, non solum accuratè quæ iubes legere, uerum etiam in his docendis, co uti ordine, quo Matheseos tyrones facillimè erudiantur, & ad alios huius generis libros idonei auditores reddantur. Cum uero post numerorum scientiam, quam hac hyeme, tuo monitu, interpretatus sum, necessariò tradenda putarim Elemẽta Geometrica: sine his enim frustrà alias aggrediare disciplinas. Ideo propter omnium studiosorum commoda, ex Euclidis Geometria, eas dũtaxat excerpsi Propositiões, quæ in demõstrationibus linearibus crebrius obuersantur, quæq; satis propè sunt ad disciplinarum culmen perducere. In quibus ordinandis pariter, ac demonstrãdis, prudens non semel ab Euclide dissentio: Ita enim rei breuitas, &, quam semper quæsiui facilitatem, postulabant. Hunc ergo libellum, obseruandißime Patrone, tuo solerti examini submitto: non ambigens

bigens

bigens quin pro tua in me beneuolentia, errata re prehendas, & commode dicta alacriter suscipias, meq; ut soles, perpetuo prosequaris amore. Vale, Viennæ ex ciuium Collegio, pridiè Calendas Martias. An. 1528.

ELEMENTALIS GEOMETRICI CAPVT .I.

DEFINITIONES.

1 Punctus, est cuius pars nulla est.

2 Linea, est longitudo sine latitudine. Cuius quidem extremitates sunt duo puncta.

3 Linea recta, est ab uno puncto ad alium breuissima extensio, in extremitates suas utrũque eorum recipiens.

4 Superficies, est quæ longitudinem & latitudinem tantum habet. Cuius quidem termini sunt lineæ.

5 Superficies plana, est ab una linea ad aliã breuissima extensio, illas recipiens in suas extremitates.

6 Angulus planus, est duarum linearum alternus contactus, quarum expansio est super superficiem planam, applicatioq; non directa.

7 Angulus rectilineus, est quem cõtinent duæ